

Nos Amore pio ducti, humilia non excelsa ambimus, & cum in his cadi-
ducis nusquam detur absoluta veritas, aliorum errores cum nostris mit-
tere, nec eos attingere instituimus.

Laboriosum quidem imposui Filio opus, mea tamen, ubi ferendo
oneri impares erant humeri, aliquali, (quae tamen non de nihilo fuit)
operâ adjuto, quod merus quidem labor, non ingenium, multis appare-
bit. Sed quid absque labore unquam acquiritur? Labor omne, quod
ingenium habet, efficere, & utramque paginam absolvere videtur. Præ-
terea juvenilis ætas, laboribus aptior, in his, & similibus exercenda, ne
otio, vitiis obnoxia, diffluat.

Opus vero hoc necessariò edendum existimavi, in gratiam eorum,
qui vel Botanices amore accensi, vel Horticulturæ studiò ducti, genuina
& per tot Secula hactenus usitata Plantarum Nomina, quæ vix in Lexi-
cis vel amplissimis extarent, evolvere, rectè pronunciare, scribere, eorum
origines inquirere, herbarum virtutes eruere & ad plures usus applicare
animum inducunt. Nam licet id viri Eruditione eminentes possidere vi-
deantur, illi tamen, qui artem botanicam inchoant, & absolvere sata-
gunt, imprimis Hortulanı illi, (de eruditis non sunt verba facienda) qui
non tam animum, quam humum excolere, non tam literas, quam
areolas exarare didicerunt, & tamen ob incondita & barbara saepius
prolata Plantarum Nomina, (quibus & similibus yocum barbarismis
vel totus inundatur terrarum orbis, & nativus cuiusvis Linguæ nitor cor-
rumpitur,) præ cæteris aliquid sapere volunt, hoc vel simili Indice care-
re minimè possunt.

Continet autem hic Onomasticus Index Nomina Plantarum, di-
versis Populorum Linguis, (quotquot nempe & quantum ex Auctori-
bus extrahilicuit) conscripta, cum Locis Auctorum genuinis adjunctis,
quò illum omnis ferè Europæa gens, Literis Latinis, Græcis, & Germa-
nicis imbuta, ad usus suos trahere possit. Nam pro Idiomatum diver-
sitate, & qui in Linguis suis scripserunt, ex *Gracis veteribus* adduxi &
pro Auctoritate allegavi Medicorum Coriphæum *Hippocratem*, qui li-
cet de Re Herbaria ex professo non scripserit, Nominum tamen Herba-
rum, quæ longò antè seculò in usu fuerunt, meminit: deinde *Theophra-
stum Eresium*, & *Dioscoridem Anazarbæum*, Botanographorum Prin-
cipes. Rarò autem *Aristotelem*, *Athæneum*, *Nicandrum*, *Ægine-
tam*, *Galenum* & alios recentiores. Ex *Latinis veteribus*, *Cajum*
Plinium secundum: rarò *Celsum*, *Catonem*, *Varronem*, *Apulejum*, *Petro-
nium*, *Palladium*, *Crescentium*, &c. Ex *Recentioribus* vero Clarissimos
Bauhinos, *Casparum* nempe, & *Johannem* ejus fratrem: ex quibus Her-
barum Species & Differentias, quotquot extiterunt, cum aliorum, &
meis observatis, singulari studiò extraxi, & cuilibet Generi subjunxi:

Fabi-